

D. CHRISTIANUS GOTTL
BIENERUS 1797,8.
PROCANCELLARIUS

SUMMOS IN UTROQUE IURE HONORES

V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

ERNESTO FRIDERICO HAUPT

Z I T T A U I E N S I

IURIS UTRIUSQUE BACCALAUREO

A. D. XIX. DECEMBERIS 1800.

H. L. Q. C.

SOLEMNITER CONFERENDOS

I N D I C I T.

Praemissio obseruationum iuris publici et feudalis

S P E C I M I N E IV.

*De originibus Schriftsassiorum et Amtsassiorum
principue in Saxonia. P. I.*

LIPSIAE,

EX OFFICINA BREITKOPFII ET HAERTELII.



D. CHRISTIANUS GOTTFRED

BHEVERUS

THEATRUM MUNDANUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER

BY THE LIBRARIAN OF THE UNIVERSITY

CHRISTIANUS GOTTFRED BHEVERUS

THEATRUM MUNDANUM

BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS HANNOVENSIS

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER

CHRISTIANUS GOTTFRED BHEVERUS

THEATRUM MUNDANUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER

CHRISTIANUS GOTTFRED BHEVERUS

THEATRUM MUNDANUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER

CHRISTIANUS GOTTFRED BHEVERUS

THEATRUM MUNDANUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER

CHRISTIANUS GOTTFRED BHEVERUS

THEATRUM MUNDANUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER

CHRISTIANUS GOTTFRED BHEVERUS

THEATRUM MUNDANUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER

CHRISTIANUS GOTTFRED BHEVERUS

THEATRUM MUNDANUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER

CHRISTIANUS GOTTFRED BHEVERUS

THEATRUM MUNDANUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER

CHRISTIANUS GOTTFRED BHEVERUS

THEATRUM MUNDANUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER

CHRISTIANUS GOTTFRED BHEVERUS

THEATRUM MUNDANUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER

DE ORIGINIBVS
SCHRIFTSASSIORVM ET AMTSASSIORVM
PRAECIPVE IN SAXONIA.

§. L

De Schriftsassiis et Amtsassiis in vniuersum.

Tralatitium est in iure publico et feudali Saxonico vassalos eorumque praedia aut supremis curiis Lipsensi vel Wittebergensi proxime subesse aut praefectureae cuidam Electorali parere, illos solius Principis collegiorumue vice sacra fungentium praecepta suscipere ac iudicata, hos econtrario magistratum principalium praeceptis iudicatisque obtemperare, illos immediatos, verbo iuris publici Saxonici Schriftsassios, hos mediatos seu Amtsassios vocari. Late patet per vniuerlum ius publicum ac feudale Saxoniae, patriae carissimae, haec partitio, neque in praediis solum nobilibus cernitur, a quibus tamen originem cepit, sed propagata etiam fuit ad urbes earumque senatus, quid? quod ad singulos adeo, munere officioue in utilitatem publicam fungentes, aut solo honoris titulo absque muneris professione consipi-

cuos applicata et paulatim valde ampliata fuit, vt Schriftfassius aut ex re, aut ex munere publico, aut ex titulo honoris oriri videatur.

Itaque iuris Saxonici tam publici, quam priuati autores conditoresque in hoc loco excolendo omnino versati fuerunt, in quibus praeter Beyerum in delineatione iuris Germanici Lib. I. cap. VII. de Schriftfassius et Amtfassius, inscripto, et Pfessingerum ad Vitriarinn T. II. p. 961. nominare iuuat Guil. Leyseri diss. de Landsfassius itemque Schriftfassius et Amtfassius, Wittebergae 1664. et Adam. Struui diss. de Schriftfassius, germanice *Vom Ursprung, Recht, Freyheit und Gerichtsbarkeit der Schriftfassen auch dem Unterschied zwischen den Amtfassen*, Jenae 1667. habitam, licet his et Schilterus in commentationibus de Landsfassius, Amtfassius et Schriftfassius Exx. ad Pandectas T. I. p. 288 et Joannes Gothofredus Bauerus tribus opusculis vno: de Landsfassius et foro Amtfassiorum, altero: de Schriftfassatu personali, tertio, de Schriftfassatu reali Opusc. Academ. T. I. num. XXXV. seqq. longe praestent, vt Bergerum seu potius respondentem disputationis auctorem Boernerum diss. de nexu iurisurandi, quo fidelitas et subiectio continetur §. 43. seqq. Lüderum Menkenium comment. de foro competente vasallorum simultaneaque inuestitorum et subiectione nobilium immediatorum Saxoniae Landfassiorum extra hoc territorium habitantium in cancellariis Saxoniciis et curiis Provincialibus §. VIII. seqq.; Roemerum in opere: *Staatsrecht und Statistik des Churfürstenthums Sachsen und der*

der dabey befindlichen Lande P. II. §. 33. seqq. taceam. Passim quoque huius rei meminit Wabstius von des Churfürstenthums Sachsen Justizversaffung atque in appendicibus variis singulorum adeo praediorum conditionem retulit, sed in hoc articulo omnibus aliis palmam praeripuit Canzlerus in opere praestantissimo: tableau historique pour servir à la connoissance des affaires politiques et économiques de l'Electorat de Saxe et des provinces incorporées ou reunies, quod Dresdae et Lipsiae 1515 CCLXXXVI prodiit. Etenim inde a pagina sexta tomii I. per totum opus, seruato circulorum Saxoniorum ordine, diligentissime reensuit Schriftsassios et Amtsassios, allatis simul monumentis rationibusque, ex quibus id ipsum intelligatur.

§. II.

Quo fundamento praediorum nobilium in Schriftsuffica et Amtssuffica distinctio nitatur, breui expenditur.

Ex triplici illa caussa, quae Schriftsuffiatum parit, vnam praesente scripto illustrare constiui, eam nimirum, quae ex re oritur. Atque ut constet qua de re disputetur, monendum duco, me de iis duntaxat quaerere praediis, quae Principi Electori primo aut secundo gradu subiecta sunt, neque alio regimine territorioe subiecto continentur. Sunt autem duplicis generis haec praedia aut feudalia, quorum quidem maxima pars est, aut allodialia, iuribus tamen praediorum equestrium munita. Ex quibus iam sua sponte

A 3

intel-

intelligitur, fundamentum partitionis propositae a nexu feudali repeti nec posse nec debere, sed in iurisdictione in primis ciuili esse ponendum. Dominium enim directum cum iuribus inde dependentibus, atque ex legibus nouis adeo iurisdictione feudalis soli Principi Electori eiusque Regimini territoriali aequali iure tam in feuda Schriftäffica quam Amtäffica competit, ut si inde metiri velimus conditionem istam partitionemue, omnia feuda non possint non esse atque haberi Schriftäffica. Neque tamen non primam causam atque originem huius instituti ex militia clientelari repeti debere, suo loco persequar.

Itaque praedia Schriftäffica ea dico, quae Principi Electori summisque eius dicasteriis collegiisque proxime seu in prima instantia subsunt; Amtäffica econtrario, quae Praefectorum Electoralium iurisdictioni mandatisque obtinerare tenentur. Differunt quidem haec praedia in variis iuris publici et feudali articulis, quae tamen omnia cum abesse queant, definitionem ingredi non debent. Conditio illa praedium totum cum accessionibus, in quibus saepe iurisdictione patrimonialis cernitur, afficit, ex quo sequitur, ut omnes, qui tale praedium inhabitant, exinde forum domicilii sortiantur, atque a praedio Amtäffico ad Praefectum Electoralem, a Schriftäffico ad curiam Prouincialem, cui subiectum est aut praetermissa curia mox ad Regimen territoriale prouocetur.

Haud



Haud prætereunda est duplex praediorum Schriftsässorum conditio, quae enim antiquitus et certe ante annum ~~circa~~¹⁷⁶¹ sub iurisdictione ipsius Principis fuerunt, veteris, quae autem dicto anno secutisque per codicillos a Principe impetratos iurisdictioni Praefectorum exenta et summis dicasteriis subiecta fuerunt noui Schriftsässatus esse dicuntur (*Alt und neu schriftsäffige Güter*). Qualem id ipsum vim habeat, breui videamus. Principi Electori ius competere eximendi praedia Praefectorum suorum iurisdictioni, nemo ambiget, neque dubitari potest, quin talia praedia Schriftsässatum cum omnibus iuribus suis adquirant, sed si personam standi in comitiis consideraueris, appetat discrimen. Etenim omnes praediorum nobilium possessores iure comitiorum gaudent, quod Segerus diss. de coniunctione loci et suffragii in comitiis provincialibus cum dominio praediorum nobilium, Lipsiae 1769. edita, ex ipsis rerum monumentis tradidit, Schriftsässii quidem viritim et vocantur et comparent, nisi impedimentum ex persona oriatur, Amtsässii autem cuiusvis Praefectoriae duos ex ipsis corpore gremioue mittunt, qui et suo et reliquorum nomine consultationibus adsint et suffragia ferant. Itaque quaeritur, utrum possessores praediorum, qui Schriftsässatum post annum supra commemorationum impetrarunt, viritim vocentur, an Amtssässorum numero habeantur. Recepta est sententia, ut exemptio a iurisdictione praefectorali, ius publicum non mutet ideoque persona



sona standi in comitiis iure antiquo aestimetur, nisi Princeps in codicillis, quibus exemptionis priuilegium indulgetur, etiam hoc addiderit, vt possessor talis praedii et viritim vocetur, et suffragio singulari gaudeat. Quod quamvis factum sit, tamen haec ipsa adiectio, non efficit, vt possessor impensa Principis, vti veteres Schriftsassii, compareat, sed suo sumtu, ius priuilegiumque datum exercendo, viuat.

A feudis nobilibus distingui debent feuda rusticæ, quorum duplex est in Saxonia ratio, quaedam enim a Cancellaria Principis, pleraque a Praefectis Electoralibus conceduntur, ideoque in feuda Cancellariae et praefectoralia distribuuntur, licet indistincte feudorum nobilium iuribus atque priuilegiis careant. Quare semper iurisdictioni Praefectorum parent, et tantum abest vt praerogatiuae praediorum nobilium ipsis vindicari queant, vt potius iure et conditione aliorum praediorum habeantur, nisi quod passim ab operis rusticorum, quippe in adiuuando et instruendo exercitu olim symbola contulerunt, vacationem obtinuerint. Plura non ad dam, de feudis nobilium et rusticorum in Saxonia, singularia capita tractauit Sturmius libello Wittebergae 1747. proposito. Quamobrem Beyerus c. l. §. XIII. qui ait; Schriftsassios esse vasallos domus Saxonicae, qui inuestituram ex Cancellaria Principis accipiunt, vasallos contra, qui feudi renouationem a Praefectis et praefectoriarum Capitaneis obtinent, Amtssassios vocari, aut confundit duplarem feudorum rusticorum speciem cum iis, quae

Schrift-



9

Schriftsäfica et Amtsäfica dicuntur, aut labitur in notione
praediorum vtriusque generis recte constituenda.

§. III.

Ratio nominis expenditur et illustratur.

Vnde ratio appellationis repetenda sit, breui videamus.
Landsäffios in Saxonia eos, dicere solemus, qui iurisdictioni
et superioritati territoriali subiecti sunt. Vis quidem verbi
ad solam praediorum intra fines territorii sitorum posses-
sionem refertur, ex iure autem Saxoniae publico ampliata
significatione ad possessores rerum immobilium profertur, qui
sententia ab antiquis iam temporibus recepta, qua quilibet
praedii alicuius dominus vel condominus ciuis est, etiam si in
alieno territorio regnoue degat, pro subditis habentur. Hartungius in Annalibus Erfurtensisbus apud Menkenium T. III. ss.
Rer. Saxon. p. 1235. ad annum 1463. discordiam inter ciuem Er-
furthensem et comitem Gleichensem coram Guilielmo Duce
agitatam retulit, his verbis: *der lyes Grafen Ernst alle seine
Güttore, die er in seine Fürstenthume hatte, in Kummer legen und
ließ ihnen durch seiner hofgerichter, er Burgharden Schenken von
Tuttenburg heische, als einen seinen Grafen, Mann und Landif-
fin sein Weimar vor sine Hofegerichte, ihm und den von Er-
further zu thun, wes er von ehren wegen pflichtig were.* Itaque res
et nomen his iam temporibus in vsu fuerunt. Ex quibus
omnino efficitur, vt quilibet praedii alicuius intra territorium

B

Saxo-



Saxonicum possessor ad homagium personale, cuius vim et potestatem Chladenius in libello: de homagio reali §. IX. bene tradidit, teneatur atque in omnibus causis forum competens sortiatur. In feudis haec est ratio, vt et vassalli ipsi et simultanei inuestiti Landsaffiorum iure existimentur. Recete igitur Menkenius de foro competente vassallorum et simultanei inuestitorum, §. VII., illud vero, inquit, certum est omnes Comites, Barones, Nobiles siue in Saxonia habitent, siue extra Saxoniam, semel feidis in Saxonia acquisitis aut simultanea inuestitura imputata competens ibi sortiri forum. In his omnibus conditio spectatur, vt alii Schriftsaffii, alii Amtssaffii dicantur.

Negotiorum explicandorum hic est modus. Schriftsaffii ad omnia negotia publica, feudalia et priuata, quae ab ipsis expediri debent, a Principe ipso eiusque summis magistratis collegisque per litteras seorsim ad quemcunque directas euocantur, Amtssaffii contra per Praefectum Principis, certiores sunt, quid ipsis faciendum explicandumque sit et in iungatur; illi igitur quoniam mandata et rescripta ex Cancelleria Principis suscipiunt auf Canzelley-Schrift, hi auf Amtsschrift sedere dicuntur. Haltanus Gloss. Germ. v. Schrift, plura eius rei monumenta collegit, vnum adscribam. Henricus senior Burggravius Misnensis, editio an. 1560. ait: Entbieten hiermit denen von der Ritterschaft die beydes auf Unfer und Amtsschrift sizen. Proprie igitur haec appellatio non de praediis ipsis, sed eorum possessoribus accipienda est, atque hi aut

refi-



resident in praedio immediato et Cancellariae subiecto, ex qua ipsis rescribitur et imperatur, aut morantur in praedio mediato et praefecturae cuidam subiecto, ut ipsis per magistratum Principis rescribatur et imperetur, illi igitur sedere dicuntur *auf Canzelleyschrift* hi *auf Amtsschrift*, sed cum non in scriptura, verum in praedio aut Cancellariae aut Praefecture subiecto resideatur, duriusculam pariter atque obscuram esse elocutionem, nemo facile ibit inficias. Canzlerus in opere laudato T. I. p. 12. definitionem ex hoc ipso negotiorum explicandorum modo repetit, quod quidem, si nominis rationem habere velis, reprehendi nequit. Cognitis igitur et re et nomine, sequitur, ut origines huius instituti progressusque ex legibus et monumentis patriis cognoscamus, quod quia ex militia clientelari et vassallitica natum receptumque fuit, necesse est, ut conditionem vassallorum antiquissimam in memoriam reuocemus.

§. IV.

Vassalli territoriorum ante superioritatem territorialem aequali modo Principi paruerunt, sed post superioritatem territorialem magia eorum pars militiae constituedae causa magistratus, qui eisdem praeesserent, acceperunt.

Duplex vassallorum genus inde a Carolidarum aeuo per Germaniam obtinuisse, atque alios solius Regis alios Principium clientela suisse nexos, pluribus monumentis in opere: *Beslim-*

mung der kaiserlichen Machtvollkommenheit in der deutschen Reichsregierung P. III. S. I. §. 90. p. 851. probauimus; cum prioribus in praesenti commentatione nihil nobis negotii est, hi autem duplicitis generis erant, aut Imperatoris aut Principis vassalli. Imperatoris milites beneficia sua ex bonis imperii publicis accipiebant, sparsa per totum regnum imperiumque. Quare et ipsa praedia et possessores milites magistratibus Caesareis, Ducibus puta, Comitibus, reliquisque subiecti censebantur. Ipsi territorialium rectores, qui fere ex ditissimis legebantur, proprios alebant milites, praediisque ad allodium pertinentibus inuestiebant. In utroque porrigebatur quidem iurisdictio territorialis, sed illi stipendum praediumue ab Augusto, hi a Principe quisque suo accipiebat, illi ad regnum et ex formula eius publica ad territorium aliquod, hi ad allodium eiusque dominum pertinebant, illi extra curtem allodiumue Principis sed intra districtum residebant, hi pro parte curtis atque allodii reputabantur. Inde lumen accipit locus I. F. V. §. 1. ubi: si quis feudum habuerit in curte domini sui — similiter si extra curtem detinuerit et dominus districtum habuerit vel alium honorem, si alienauerit sine voluntate, iure ad dominum revertitur. Principes isti, territorialium rectores sub signo suo educebant vassallos et regios et suos, neque reperio in provinciis Germaniae medios magistratus, quibus vassalli, belli pacisque tempore paruerint, fuisse ordinatos.

At enim post successionem feudorum introductam, plures

res

res mutationes subiit hoc institutum. Primum enim omnes vassalli, sive Regis sive Principis beneficia meruerint, eandem acceperunt conditionem, vt quemadmodum olim iurisdictioni Principis subiecti fuerant, ita nunc eiusdem potestatem territorialem venererentur, fidem et Rectori et territorio sponsuri. Deinde in maioribus prouinciis vassalli milites ordinis imperique causa in turmas describi et propriis magistratibus, quibus pace belloque parerent, addici coeperunt, ex quo euenit, vt alii immediati ex iure antiquo manerent, alii mediati Principis iussu et auctoritate fierent. Occasio mutationis, ni fallor, haec fuit. Superioritati territoriali Dynastae atque Praelati, qui antiquitus iam proprios aluerant vassallos, aut sponte et commodi sui ergo aut ex pristina nexus clientelaris ratione, aut ex aliis, quas referre non attinet, cauiss, superioritati territoriali cesserunt. Hi igitur vassallos suos domino et Principi suo adducebant, ipse Princeps autem milites euocabat suos; quilibet igitur militibus praerat suis, omnibus indicebantur seruitia Principis iussu et auctoritate, sed ipsa inductionis formula Dynastis Praelatisque transmittebatur, vt ipsi vassallos enocarent suos simulque cum his praeflo essent, Principis contra vassallis viritim, scripto inductionis legitime insinuato, imperabatur, vt stat tempore certoque loco adessent sub signo Principis militaturi. Hi igitur imperium a solo Principe accipiebant, illi a Domino quaque suo, hi sub signo Principis, quod simul territoriale erat,

militabant, illi sub signis Dominorum suorum. Haec autem et imperiorum et signorum et ipsius subiectionis varietas non potuit non si non discordiam, certe impedimentum, quo minus omnia ex ordine procederent, parere. Quamobrem et salus reipublicae et ordo militiae suasit, ut militibus Principum in turmas descriptis certi magistratus praeponerentur, qui proximum a Principe gradum, ut Dynastae atque Praefati, tenerent. Itaque in vassallos secundum situm praediorum descriptos Praefectis Principis Aduocatisque imperium demandatum fuit, ut Principis auctoritate eosdem pace belloque regerent, eiusque iussu et euocarent et sub proprio signo educerent. Qua quidem distributione factum est, ut plerique vassalli in ordines turmasque descripti militarent, Comitesque ac Dynastae suis, Aduocati Praelatorum Ministerialesque vassallis ecclesiarum ac monasteriorum, Praefecti autem vassallis territorialibus ex parte, omnibus tandem et duotoribus turmarum, et vassallis nullo ordine aut turma comprehensis aut ipse Princeps aut eius Capitaneus generalis praesent.

Has esse rationes et causas ex quibus factum fuerit, ut alii vassalli soli Principi, alii Principis Praefectis subiicerentur ego certe persuasus sum. Quilibet autem in territorio, cuius ius publicum et feudale tractat, si alios vassallos esse immediatos, alios mediatos cognoscit, in multis enim territoriis vassallos omnes esse immediatos constat, origines et progressus ex legibus patriis demonstrat atque illustrat necesse est; equidem originibus iuris publici et feudalis, quo Saxonia patria

patria carissima, felicissime regitur, consulturus hanc operam in me suscipiam, sed fines huius scriptio[n]is non permitunt, ut quod mihi proposui, iam persequar, id ipsum igitur alii occasione referuando propero ad sollemnitatem, quae mihi hanc scribendi opportunitatem attulit, denunciandam. Decreuit ordo noster

V I R O
DOCTISSIMO ATQUE ORNATISSIMO
ERNESTO FRIDERICO HA UPT
IURIS UTRIUSQUE BACCALAUREO

Summos Vtriusque Iuris Honores more solemni conserre. Atque ut Candidati, quae tractauit studia accuratius intelligentur, ecce, quae mihi de vita prescriptis sua:

Natus sum Zittauiae, d. 31. mens. Maii a. 1774., patre Ernesto Sigmundo, mercatore, et matre Friderica Graezia. Hanc annum tertium agens immatura morte amisi: ille erexit mihi est a. 1790. Exacta institutione, qua puerilis aetas formari solet, tradidit sunt disciplinae MÜLLERI, viri maximopere colendi, qui in urbis patriae Gymnaſio Correctoris munere fungitur; b. que JARY, Subrector. Inde ab a. 1789. publicas etiam scholas tum horum magistrorum, tum Directoris SINTENIS, qui praeclare de me est meritus, frequentauit. A. 1791. Academiae Lipsiensis ciuis factus sum; Rectore Beckio. In philosophia audiui PLATNERUM et HEYDENREICHIMUM; in philologiae studiis ERNESTI seu.; in historia WEISSIUM, BECKIUM, et ARNDTIUM. Iurisprudentiae autem doctores habui b. SCHOTTUM, BIENERUM, ERHARDUM, EINERTUM, HAUBOLDUM, JUNGHANSIUM, WEISSIUM, et REICELIUM: viros, nulla laude indigentes. A. 1794., postquam iuris nonnulla capita, Praeside JUNGHANS, publice descendisse, examen pro

Bacca-



Baccalaureatu et praxi suslinui. A. 1795. Gottingam adii, ibique PÜTTERO, GATTERERO, SCHLÖZERO, BECKMANNO ac SPITERO auditor adsedì. A. 1796. Lipham reuerfus, examini, quod rigorofum vocant, me subieci.

Vtroque igitur examine feliciter et cum laude superato, petit a nobis, vt suprema iuriis laurea Ipsum exornaremus. Quibus quidem desideriis non potuimus non annutere, huic igitur rei ac solemnitati peragendae praefiximus diem XIX. Decembris. Candidatus Doctissimus, ut quae supersunt specimina edat, die XVIII. mensis eiusdem horā II. pomeridiāna in auditorio iureconsultorum

*L. 2. C. qui et aduersus quos in integrum restituunt
non possunt*

lectione cursoria illustrabit, postera autem die disputacionem: de poena adulterii ex legē Iulia de coercendis adulteriis fine Praefide horis antemeridianis defendet, quo facto Vir Iurium Consultissimus atque Amplissimus, Collega amantissimus D. CHRISTIANVS GOTTL̄OB EINERTVS, Senator merentissimus, Promotor rite constitutus Summos in utroque Iure Honores cum omnibus iuribus atque priuilegiis, excepta sola succedendi spe in ordine nostro, Doctissimo Candidato consereret.

Quae quidem omnia vt celebriora atque auspiciatoria reddantur, rogamus decenter, vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PRINCEPS SERENISSIMVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI PRAENOBILISSIMIQVE huic solemnitati adesse eandemque exornare velint,

P. P. in Studio Lipsiensi D. XXII. p. Tr. MDCCCLXXXVII.

L. S.



Leipzig, Diss., 1797

X 2309032

6078



Farbkarte #13

B.I.G.



D. CHRISTIANUS GOTTLLOB
BIENERUS
PROCANCELLARIUS

SUMMOS IN UTROQUE IURE HONORES

V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

ERNESTO FRIDERICO HAUPT

Z I T T A U I E N S I

IURIS UTRIUSQUE BACCALAUREO

A. D. XIX. DECEMBRIS 1797.

H. L. Q. C.

SOLEMNITER CONFERENDOS

I N D I C I T.

Praemisso obseruationum iuris publici et feudalis

S P E C I M I N E IV.

*De originibus Schriftassiorum et Amtsassiorum
praecipue in Saxonia. P. I,*

L I P S I A E,

EX OFFICINA BREITKOPFII ET HAERTELII.